Zur
Schnaaseschen Leihbibliothek
in Danzig

1. Accurate Nachricht von der Russisch u. sächsischen Belager- u. Bombardirung der Stadt Dantzig. Cöln 1735 [autorzy: Georg Daniel Seyler i Peter Georg Schultz]

2. Aufrichtige Erzählung wie es mit der Wahl Stanislaus Leszczyński und Friderici Augusti zugegangen. [1735]

3. Pacta conventa zwischen ... Stanislao I ... und den Ständen der Republique Pohlen. Dantzig 1733

4. [Stanislaus Leszczyński, Poloniae Rex] Lettre du Roy ... à un de ses amis, contenant les veritables circonstances de sa retraite de Danzig. 1734.

5. Brieff eines Pohlen, in welchem die Schrifft ... Respons Anonymi do pewnego Przyjaciela w Gdańsku będącego ... wiederleget ... [1735]

6. Der andere Brieff eines Pohlen, in welchem die Schrifft ... Respons na manifest Xiążęcia Jmci Prymasa ... wiederleget wird [1735]

7. Send-Schreiben eines Polnischen von Adel an einen ... Freund v. d. a. 1733 ... Rgl. Polnischen Wahl ... [1735]

8. Einmüthiger Schluss ... welchen die ... aus dem Senatoren und Ritter-Stande zur Seite geordnete ... Räthe am 10 Febr. 1734 in Dantzig beliebet haben. [1735]

9. Confoederation der Sandomirschen Woyewodschafft, vor die Vertheidigung des cathol. Glaubens, der freyen Wahl u. der Kgl. Würde Stanislai I ... [1735]

10. Sentiment der polnischen Nation ... dem russ. u. cosack. Geschlechte zur Ueberlegung communiciret ... [1735]

11. Fides indubitata omnium Ordinum Regni ad Kamionam probata. Electionem ... Electoris Saxoniae ... factam. [1733]

12. Fides indubitata contra Fidem ad Kamionnam ... in licentiosam Elect. Sax. pro Rege Pol. seductionem post religiosam Stanislai I ... proclamationem ... [1733]

13. De prospera Regis Poloniae a. 1733 electione Equitis Poloni ad amicum confidentem epistola ... [1735]

14. Copia litterarum cuiusdam Equitis Poloni ad ... Electorem Saxoniae ... [1735]

15. Apologia malitiose vexati honoris Primatis Regni ... per literas Principis Eugenii ad Vesirium ... [1735]

16. Rede der Deputirten der Stadt Dantzig ... an I. Russische Kays. M. ... Dantzig 1734.

17. Bewegungs-Gründe der Kgl. Entschliessungen oder gründ-
liches Verzeichnis der Ursachen welche I. K. M. von Franck-
reich zu den Waffen zu greiffen bewegen --- [1735]

18. [Stanislaus I Leszczyński, Poloniae Rex] Der wahre
Glück- und Unglücks-Spiegel des Königes --- [1734]

19. Kurtze Relation von der Kroehnung Stanislai I. -- und
dessen Gemahlin -- in Warschau -- am 4 Oct. 1705. -- 1733.

20. Die innigste Freude der Stadt Dantzig und deren Ein-
wohner über die hohe Gegenwart Stanislai I -- Dantzig 1733.

21. An dem hohen Geburths-Licht Stanislai I. .. durch einen
-- Prologum -- sich praesentiren -- anwesende Trou-
pe hochteutscher Comoedianten --- [1733]

22. Copia der Kriegs-Declaration des Königs von Franck-
reich wider den Kayser von 10. Oct. 1733. -- 1733.

23. Engelcke Jakob, Das auf der Goetter-Assemblee
wohl-ausgesprochene Lob- und Ehren-Urtheil über die
-- Kauf- und Handels-Männer --- in Dantzig. Dantzig 1734

24. Lengnich Gottfried, Augusti Optimi Regis Poloniae ...
d. 1. Febr. saluti publicae erepti memoriam Urbis

Senatus d. 5. Mart. -- oratione celebrare iussit -- [1733]

25. Lengnich Gottfried, Augusti II Regis Poloniae ... indulgentiam Senatus iussu oratione celebravit ... Gedani [1733].

NB. die Num. 22 muß im Buch selbst zwischen num. 18 u. 19 gesuchet werden.



APOLOGIA.

Malitioſè vexati honoris Celſiſſimi Primatis Regni Poloniæ, & M. D. Læ. per literas Celſiſſimi Principis Eugenii ad Illuſtriſſimum Veſirium Scriptas.

Poſtquàm in Lucem prodiit certa quædam ſtudioſiſſimè compilata Aulæ Viennenſis Juſtificatio, quâ *Sacra Cæſarea Regiaque Catholica Majeſtas*, proteſtatur, nunquam ſe immiſcuiſſe, vel anſam dediſſe iis in Regno Poloniæ motibus, quorum invaleſcens impetus tranquillum totius Europæ concuſſit ſtatum.

Vidimus & legimus illam cum attentione, ut hæc ſolet major eſſe ad magna oracula. Examinavimus cum admiratione, quòd tantæ pietatis, tantique Judicii Princeps, ab initio malis Conſultoribus adhæſerit, & iniqua illorum Conſilia, quæ amplexus eſt ad finem iam ut ſua tueri, ac illis æquitatis Naturam adſtruere firmiter propoſuerit. Denique dedignari ſatis non potuimus hanc Injuſtitiam, quòd ſi quid mali Reipublicæ Polonæ evenit, id totum *Sacra Cæſarea Regiaque Catholica Majeſtas Celſiſſimo Regni Primati* Ejusque Culpæ adſcriberet, quòdque á Fatis Sereniſſimi Auguſti II. usque ad Throni vacantis periodum, qui *Primas* & brevis Interrex, aut nimis Zeloſè Patrias Libertates & Leges defenderit, aut earundem tutelam ab Externis Potentiis ſibi arrogatam in Libero ac independenti Regno inſvetam & ſuſpectam non admiſerit. Hæc Conſtantia animi omnibûs ſuperior tentationibûs procreavit Illi ejusmodi odia, Convitia, improperia, & multas alias graviſſimas Injurias totum per Orbem divulgatas, ad quas tamen preſſo do-

loris sub pectore sensu, siluit per respectum & Cultum Diis Terrarum pendi solitum, etiam in ambiguis Eorum Effatis, sed quia Principum Effata sunt, sæpenumerò venerabundam dissimulationem quamvis ab invitâ veritate exigunt.

Cùm autem Celsissimus etiam *Princeps Eugenius uti Primarius Sacræ Cæsareæ Regiæque Catholicæ Majestatis* Minister sui Aulici & bellici Consilii Præsidens in Responsoriis suis Illustrissimo Domino Ali-Bassæ Magno Vesirio Imperii Othomanici datis intuitu eorum, quæ durante Interregno curam ac Sollicitudinem Primatialem tangente, acta sunt in Polonia, minimè realitati studuerit, referendo non existentia pro existentibus, affectata perperàm pro genuinis, imò Honorem *Primatis à Sacra Cæsarea Regiaque Catholica Majestate* sat malè habitum, adhuc peiùs & sensibiliùs vellicare præsumpserit. Jam hìc nec patientiæ ulteriori nec dissimulationi est locus; Cùm liberiùs Principem Eugenium alloqui, & illi ad suas illationes respondere nullum sit periculum alicujus respectûs, nullum veritatis palàm defendendæ, ac à falsitatibus vindicandæ obstaculum, imò nè penes Nos surda ac ignava objectorum tolerantia Illi pro Victoriâ, & Silentium Nostrum pro Confessione delicti habeatur, utque toti Europæ notum, clarum, manifestumque sit Res Polonas in alio Statu, ac ritu fuisse, ac in alias sinistrasque Aulæ Viennensis Interpretationes immeritò incidisse, visum consultumque est altefatam Responsionem *Principis Eugenii* ad Literas Magni Vesirii factam intùs & in cutè excutere, & omnia ejus puncta expungere.

Hanc autem sacratam veritati evincendæ operam ordiri fas est ab Elogiis Præfulgidæ Portæ, & Ejus dignissimi Magni Vesirii, qui auditô Moscoviticarum Copiarum in Viscera Regni Poloniæ introitu ad evertendam aut opprimendam Liberam Regum Electionem institutô, sat scitè & solidè, tàm pro Juribus ac libertatibus Nostris, quàm etiam pro observandis religiosè Pactis & Tractatibus inter Gentes sibi Vicinas & finitimas initis parem ac laudabilem Zelum indilatè testari dignatus est; Aulam Rossiacam monendo, ut ab ejusmodi violento attentato desisteret, quô etiam ipsa Præfulgida Porta usque ad rupturam pacis ad Fluvium Prut cum Moschis conclusæ, offenderetur & irritaretur. Principem autem Eugenium Literîs suîs Viennam missîs distinctè conveniendo, & amicabiliter expetendo, ut pro hac Philadelphia, quæ nunc viget & floret inter *Sacram Cæsaream Regiamque Catholicam* ab una, & Cæsaream *Majesta-*

jeſtatem parte ab altera, velit ſeriò, adhortari Aulam Roſſiacam, nè Liberis Liberi Regni Poloniæ diſpoſitionibus ſe immiſceat, nè Jura Legesque Ejus manu armata confundat, imò Pacta antiquiora & recentiora intaminatè colat, & Exercitum Moſcoviticum evacuet, ac extra Limites Regni quantociùs educat; Principis Eugenii hâc in re bonis Officiis ac allaborationibus non parùm profuturis ipſimet ſuo Imperatori ad conſervandam inter duo Imperia illæſam Pacem, quæ ſecùs violatis aliorum Regnorum Conventionibûs ac Tractatibûs non poſſet firmîs ſtare radicibûs.

Exemplum id ſervandæ ſtipulationibus fidei, ac Religionis Pactorum ſacroſanctè habendæ in Othomanis glorioſum & virtuoſisſimum, nonnè facturum eſt juſtam iniquitatis exprobrationem, & pudoris impreſſionem Chriſtianis, qui ſpretâ pietate, conculcatâ Fæderum Religione, Libertatum, legumque alienarum uſurpatâ ſibi indebita protectione, bella movere, Vicinos vi opprimere, & totius Europæ tranquillitatem ex Cardinibus ſuis elidere non horruerunt.

Sed ad tàm prudentes, juſtitiamque tutantes Literas Magni Veſirii, qualiter Princeps Eugenius Nomine Aulæ Viennenſis reſpondeat nunc videndum & animadvertendum eſt.

Incipit à concluſa feliciter Paſſorovicii Pace, quæ poſt tantam humani ſanguinis effuſionem, immanemque Regionum ac Populorum devaſtationem, tùm alia innumera, mala ex bello promanantia, ut ſarta maneret, omnem abhinc in eo fuiſſe curam ac ſollicitudinem Aulæ Viennenſis. Cùm tamen Eadem Pax pro qua totius Imperii viribûs pugnatum, ipſi tantùm Imperatori proficua, ac tantâ ad hæreditaria Ejus Dominia Regionis acceſſione conſtans, intùs irrequietum teneret animum Poteſtatis ſuæ plùs ultrà extendendæ avidum. Otium infructuoſum diſplicebat, Tranquillitas Europæ pariebat faſtidium, & ubi bella aperta deſierant, tacita & tecta non ceſſarunt ſtudia, aut pro augendis in rem Domûs Auſtriacæ Emolumentis, aut pro partis ex integro retinendis etiam cum præjudicio & injuriâ Tertii.

Hinc judiciô ipſiusmet Principis Eugenii ſucceſſiſſe illud inglorium, & à honeſtate alienum, ipſo quoque rerum eventu infauſtum, ut occaſio potiùs captaretur Vicinorum quietem turbandi, quàm ut ea reſpicerentur, quæ Pactorum Conventorum Sanctimonia expoſcit.

 Si-

Signanter autem de rebus Polonicis tractans, ac si iis quæ tàm in Convocationis, quàm in Electionis Comitiis acta sunt præsens adesset, asseverare & persvadere Magno Vesirio adnititur, quòd à perversæ indolis hominibus posthabitâ omni veritatis curâ, nihil non actum sit, quô sinistris ac fallacibus querelis suis fidem adstruerent, ac præsentem rerum in Polonia Statum diversum planè ab eo, qui est, depingerent & sisterent. Cùm à contrario & Præfulgidæ Portæ & universo jam Orbi notiùs & sole meridiano clariùs esset, penes eosdem esse & flagitiorum Culpam & impudentium Mendaciorum summam qui in parvo nimis, & nimis facinoroso perjurorum ac Perduellium numero, à Corpore Universæ Reipublicæ abrupti, plusquàm notoriè perversæ indolis sint, & dici tales mereantur, ut potè corruptionis suæ manifesti, falsarii pravi & serviles factionum Extranearum administri.

Rectè dictum à Magno Vesirio. Regnum Poloniæ esse conterminum Regionibus, quæ partim Augustissimi Romanorum Imperatoris, partim Præfulgidæ Portæ, partim Russorum Autocratricis imperio subsunt, atquè à Principe Eugenio idem debitè agnitum cum hac tamen subtili appendice, quòd Eorundem Vicinorum Principum, quàm maximè intersit, nè Polona Libertas ac præcipuè Liberrimæ Electionis Jus, tùm Regni Leges, quibus Libertas innititur detrimenti quidquam capiant.

Aperiendi nunc sunt Oculi, videnda est, quam Princeps Eugenius exaggerat, hæc defensio Libertatis in intento Libertati ictu; Nonnè palàm in amico quasi, & re ipsa stricto ac violento à Vicinis Legum Nostrarum amplexu strangulatur Jus liberrimæ Electionis? Cùm post eandem unanimiter in forma expeditam, alia deformis & portentosa sub armis hostilibus prodierit? Non tamen indè sequitur, quòd cùm Regnum Poloniæ sit contiguum & collimitaneum cum præfatis Monarchiis pro Interesse & libidine earum debeat sibi Reges eligere. Non introspicimus in Vicinorum gubernia, qualiter Hic vel Alter Principum subjectos sibi regat Populos. Non perscrutamur, nec curiosis æquè ac perniciosis immiscemur factionibus, quem & qualem Electores Imperii sint habituri Romanorum Imperatorem, nostra curamus unicè, nostris vivimus & vigemus Legibûs, directione aut Manuductione Extraneorum in iis, quæ ad solam Liberamqvè Rempublicam pertinent, non indigemus, imò quoties Vicini nostri ultroneâ ac affectatâ Benevolentiâ in negotia nostra se inge-

gerunt, nunquam non evadunt ſuſpecti, nunquam ſollicitudo illorum de bono alieno ſpecioſa, pro periculosa non habetur: Cùm ſemper proprii quoquè commodi, intra ſe habeat contemplationem. Ut id arcanum evulgat ipſe Princeps Eugenius.

Sicquè ulteriùs ſua ratiocinia promovet, ſcilicet par & juſtum eſſe, ut quàm diù Poloni ſtant Pactis Conventis, quæ cum externis ſunt inita, domeſticis illorum rebus Exteri ſe haud immisceeant, niſi ubi forſan à Reipublicæ Concivibus invitentur, ut laboranti Patriæ, ac ejusdem in diſcrimen adductæ Libertati ſuccurrant.

Quantùm ad primùm, Pacta & Fœdera cum Potentiis Externis concluſa à Polonis ſemper, & in hunc usquè diem illæsè ac Sacroſanctè obſervata nullus dubitabit, prout & ipſe Princeps Eugenius, imò candidè fatebitur, Poloniam vel ab illo vel ab alio Vicino Principe læſam, occupante Thronum de Tribu Germaniæ Rege Auguſto II. læſionum & injuriarum ſuarum ultionem feliciori reliquiſſe tempori, præſertim verò prætenſiones ſuas patienter toleraſſe tàm magnas ad Ruſſos habitas, qui bellô præteritô conjunctis ſecum viribûs Polonorum tot & tanta emolumenta lucrati, non modò conſcriptis initæ armorum Societatis Tractatibus hucusquè non ſatisfecerunt, ſed etiam ad eum ex proſperis tumorem devenerunt, ut ipſam deniquè Rempublicam Liberam Amicam & Fœderatam ſuam invadere, opprimere, Jura Cardinalia evertere, Libertatibûs exuere, ac Statui ſuo ſimilem ſervitutem inducere pro pijaculo non haberent.

Non hoc eſt domeſticis Regni alieni & privatis rebus ſe immiſcere, ſed publicam & palmariam violentiam facere per attentatam in Armis Impoſitionem Liberæ Genti, Ejus Principis cui invita & coacta pareret. *Quantùm ad ſecundum quæritur* quod & quale ad præſens Libertatibus Noſtris inſtabat discrimen, ut ad ſalvandas illas neceſſaria eſſent Auxilia Moſcovitica, quorum Invocationem Princeps Eugenius aſſerit eſſe licitam, ſi à Concivibus Reipublicæ facta fuerit. Diſtingvendi ſunt primò Concives boni & mali, probi & probroſi, Reipublicæ amantes priſco & integro more, ac è contra factioſi, rerumquè novarum cupidi. Aliàs nunquam daretur quieti Locus, Seditionibus finis. Deindè conſiderandum quo tempore, & in quem finem exigantur Armatæ à Vicinis ſuppetiæ, quæ ſine conſenſu unanimi Statuum ab aliquot Civibus requiſitæ, ipſô factô ſunt criminales & damnabiles. Reſpublica fuit quietiſſima, illam verò tur-

turbare, angarisare, & bello temerario malitiosè implicare, nonnè scelus immanissimum? Si Liberum *Veto* in aliquo aliquis læsum credidit & allegavit, licuitnè Filiis contra Patriam, Civibus bonis contra Rempublicam hostiles Exercitus inducere, eâ de Causa, quæ Domi à Dominâ sua naturali, vel iudicari, vel svaviter componi poterat?

Quæ cùm ita sint in his principiis quamvis iniquissimis ipse recognoscit Princeps Eugenius coram Magno Vesirio, concordes penitùs esse animorum sensus Principum Regno Poloniæ advicinantium. Nos quoquè assertis annuimus, quòd hic eorum concors Consensus fuerit ad noxam Reipublicæ, ut id ab eventu patuit. Sed hanc Hippocrysim inducit tectam palliô Justitiæ non repugnantis bonis & fæderatis amicitiis, quòd Russi venerint sollicitati bona intentione ad succurendum laboranti Reipublicæ, Ejusquè Libertati; reversuri mox in Russiam provisis iis quæ ad Bonum Reipublicæ. O quàm speciosa verbis! In re verò non aliam esse naturam omnium Pactorum Conventorum & Tractatuum inter Gentes confici solitorum, quàm ut aut illis solidetur fædus desideratæ ad invicem Amicitiæ, aut si intercessit aliqua armorum collisio, post bellum sit Pax, Jus unius cujusqvè in salvo, limites in tuto, regimen suum secundum quod Gens quæque se regit in toto, mutua denique auxilia, si in Compactatis sunt adnexa contra Hostem communem, & eo deinde tempore quo à parte illis indigente expetantur; Nam & beneficia ultrò obtrusa, & ut omninò etiam à respuentibus acceptentur, magis violentiam quàm gratiam inferunt. Facienda nunc est reflexio ad Statum Regni Poloniæ & ad Vicinos illi Principes, ejusdem curam & tutelam nimiùm affectantes. Erat Pax & iam non est Pax, imò fragore armorum ex sinu totius quietissimæ hactenùs Europæ excussa & propulsata. Jura Regni hujus quæ debebant esse in salvo, convulsa & conculcata à Protectoribus secundùm illos putativis, secundùm nos absolutè intrusivis. Limitum violata securitas, transgressis Confinia, & in Viscera Regni illapsis extraneis Copiis. Regimen liberæ Gentis ad quantam venerit confusionem per eversas susque deque Leges. Quantô processum attentatô contra Liberrimam Regum in hoc Regno Electionem, testatur id illa novi Theatri scena in Pragensi Deserto. Quis Hostis Reipublicæ erat, ut ad succursum ab illa non rogati venirent Moschi. Sed tueri aliquot Cives perversos Perduelles, illis aurem & fortem manum præbere ad Universam opprimendam Rempublicam, & cum illa integra, non autem cum aliquot ejus

di-

divisim Civibus, tùm antiquissimis Pactis, tùm recentioribus Tractatibus initis & stantibus ad hæc Principia, (per quæ quid componitur, per eadem resolvitur) lumine naturæ nota se non reflectere, quæ boni rectique Sensûs ratio?

Ignoratur prorsùs qualiter Princeps Eugenius absquè periculo proprii ac consummati Judicii Inconvenientiam ejusmodi, & Inductionem Moschorum in Regnum à Civibus privatim attentatam adornare, & justificare contendit, ut rem Jure concessibilem & in Jure vetandi fundatam, quòd jus sanctum & Sacrosanctè observari solitum ad avertenda mala à Republica, non autem ad inferenda illi vel ejus Libertatibus pericula inservire debeat.

Quòd verò per hunc in Poloniam hostilem Moschorum ingressum, nulla sit ruptura, aut læsio Tractatûs inter PræfulgidamPortam, ac Rossiacam Aulam ad Fluvium Prut conclusi, hoc nullatenùs excusari vel defendi potest. Quoniam (ut Ipse Princeps Eugenius in Responsoriis suis Magno Vesirio datis innuit) extra omne dubium est: Non licere ab iis, quæ mutuo consensu firmata sunt uni Paciscentium Parti invitâ alterâ recedere. In comperto autem est contra expressum ejusdem Tractatûs articulum irrupisse in Regnum Poloniæ Exercitum Moscoviticum, nec indigente quibusvis auxiliis Republica, cum altâ undique pace frueretur, nec Præfulgidâ Portâ ad id assentiente, imò nec requisitâ à Russis superbis, ut permissum illis esset dispensato tantisper & resoluto nexu præfati Tractatûs intrare in Ditiones Polonicas ad affectationem etiam ipsiusmet Reipublicæ, non verò aliquot Ejus Civium Factioni Germanicæ obnoxiorum, quosut bonum Opus operatos, quia Möschos in Regnum induxerint, & ipsô factô scelus contra Patriam commiserint, Princeps Eugenius hôc argumentô tutari ac justificare nititur. Quòd id in necessitate Liberam Rempublicam premente licitè posse à Civibus tentari & fieri agnoverit Ipsemet Primas Regni, exemplumquè dederit, cùm sub finem Regni ultimi defuncti Regis, tàm Augustissimum Romanorum Imperatorem, quàm Russiæ Autocratricem repetitîs vicibûs sollicitaverit, ut Copias suas in finibus Regni collocarent, & propiores haberent ad succurrendum, ubi casus exigeret, periclitanti Libertati Polonæ.

Non diffitemur eum tunc temporis Reipublicæ fuisse Statum, ut in plurimis rectè sentientibus suspicax Libertatis amor nil à Majestate sibi non metueret. Ignotum tamen an aliqui Civium scripto-

te-

tenùs vel aliter, eorum quæ illos terrebant hanc Confidentiam, aut Aulæ Viennensi aut Rossiacæ fecerint. Primati autem ut illas requireret & sollicitaret pro habendis ad Limites Regni propè & in promptu Auxiliaribus Copiis, nunquam id, quòd falsò objicitur, probari potest.

Si habent aliquas eo Nomine Literas, propalent, & ipsis Illum documentis convincant. Poterat etiam Princeps Eugenius statim eadem Responsoriis suis Magno Vesirio datis adjungere. Aliàs divulgare non Entia, velle fidem figmentis adstruere, & illis veritatem obfuscare nec honestum, nec Judice Universo Orbe Justitiæ consonum.

Si in Confiniis Regni positæ tunc erant tàm Germanorum quàm Russorum Copiæ, non id factum fuisse ad preces Polonorum, non amore ac amicâ & fideli provisione servandarum in integro Libertatum Nostrarum; sed ex ratione Sanctionis Pragmaticæ, cui D. M. Regem Augustum contrarium, infensum ac adversus eandem cum Regno Galliæ conjunctum, & amicum, utraque hæc Potentia ægrìs respiciebat oculìs, & tempestivè ad ingruentiam belli rebus suis parata, quibus se confestim Regi Augusto opponeret adminicula habebat. Subsecutis verò Augusti Fatis Princeps Regius, qui pro illo tempore in Supremis Cameræ Imperatoriæ Decretis à Throno Poloniæ exclusus erat, jam deindè Elector Saxoniæ, postqvàm Paternum Systema cum admiratione omnium mutaverit & Sanctioni Pragmaticæ acquieverit sub certis & secretis absque dubio in præjudicium Tertii Aulæ Viennensis sponsionibus ac Compactatis. Præfatæ Potentiæ iisdem armorum viribus, Limites Regni hujus circumsidentibus, uti in obsequium ac Suffragium novi sui ad Coronam vacantem Candidati, consultum duxerunt. Vidissetquè infallibiliter in fausta ac Vicinorum moliminibus accomoda Polonia præter Moschos & Saxones inundationem Cæsarei quoquè Exercitùs, ni meditationibus ac destinatis Aulæ Viennensis obicem posuisset Rex Christianissimus unà cum aliis sibi amicis ac Colligatis Regnis, ex nunc Imperatori declaratô & inchoatô bellô, quô Impetum Ejus in Nos ruiturum diverteret in se & in sua arma, tàm ad Rhenum benè auspicata, quàm per Italiam victoriosa ac felicia, prout Divinâ justæ Causæ assistente gratiâ fas est non alios & ulteriùs sperare successus.

Sed quæritur Princeps Eugenius quâ Conscientiâ, quo veritatis Sensu velit comparare illum ante proxima Regis Augusti Fata sta-

Statum Reipublicæ, cum hôc poſt obitum ejus ſubſecutô, in quo omnia vano aut juſto metu ſoluta, omnia tranquilla erant, nulla de Principe jam non vivente ſuſpicio, nullum inſtabat Libertatibus periculum, nulla vis liberæ voci, nulla neceſſitas emendicandarum ab Exteris Principibus Protectionum, & inducendorum in Regnum Exercituum, quorum hoſtiles ignes jecerunt funeſtum incendium in totam Europam.

Sic tamen ſua urget argumenta. A ratione alienum fore, id opinari ut Interregni tempore Primati quà Interregi liceat, quod Primatis quoquè Judiciô haud liceret Regi. Et ex hac Prothaſi talia ſumpta vibrat tela. Id ipſum quod à Principe in Solio timebatur, à Primate Interregni tempore non modò tentatum, ſed ad effectum fuiſſe perductum per nocivas Reipublicæ machinationes, perquè læſiones & oppreſſiones Liberi Veto. Calumnioſa hæc impetitio deberet præſupponere potentem Primati & armatam manum ad ea, quæ objiciuntur perpetranda. Quis autem ſanè crederet Illum ſolum, nullìsquè ſtipatum Legionibus, ſoli & brevi Interregiæ Authoritati innixum, poſſe quid ſimile attentare contra liberrimos Civium Senſus, quorum Zelum & ejus amplitudinem, nec Ipſa quoquè in ſua vita potuit arctare ac premere Regia Majeſtas. Apodoſim deniquè ſuam in his ſtatuit verbis. Nè ergò Patriæ Libertas à degeneribus ejusdem Filiis opprimeretur, ſanior Civium Pars ad Auguſtisſimum Romanorum Imperatorem & ad Ruſſiæ Autocratricem, preces detulit, auxilia ſalvandæ Reipublicæ & Libertatis imploravit.

Sanior hæc Pars imò particella dismembratæ Reipublicæ, poteratnè habere plùs boni & recti ſensûs, plùs conſiderationis & amoris erga Patriam & avitas Libertates, quàm integra ac unanimis Reſpublica, quæ datô non conceſſô, & ſi erraret, nonnè pro quiete publicâ tutiùs erat cum illa errare, quàm ſolis aliquot Perduellibus ſapere ad motus & turbas? Poterantnè aliquid ſani promittere, aut eam de ſe opinionem in Orbe ſortiri, hæc putrida membra à corpore Reipublicæ abſcedentia, & jam à materno ejus ſinu, ut aliquid peſtiferum, nè Pars ſincera trahatur, avulſa & abjecta ac anathematizata. Ex hoc Principis Eugenii contextu, malè tecta artificiorum fila ſatis clarè apparent, quòd ejusmodi prava & perverſa aliquot Subjecta neceſſaria erant Vicinis Potentiis, tàm ad inducendam in Regnum animorum diviſionem, quàm ad viam qualicunque ſciſſione aperiendam, per quam etiam vi & forti aſſultu, Liberi Regni Corona caperetur.

 Ab

Ab illo tempore, quô Orphana Respublica abreptô Fatîs D. M. Rege Augustô, induit se lugubri luctu, ejusquè Regimen, donec vacanti Throno alius substitueretur Princeps, secundùm Leges ad curam ac sollicitudinem Primatialem devenit, quæ acta sunt ab initio usquè ad finem, licèt ea tot & tantîs graphicîs scriptîs in lucem editîs, satis superquè deducta essent, ac cum tanto realitatis candore, ut ejectis in contrarium falsitatibus, nec fides, nec locus ampliùs daretur, tamen ut ex hac quoquè Apologetica fidelissima lucubratione, majus in publico possit esse de veritate testimonium, aliqua hic innuere & repetere non incongruum, nec supervacaneum judicavimus. Certum est Celsissimum Regni Primatem ab omni vanitate remotissimum, & nihil magìs, quàm incensa fugere; Illi tamen id, ex quo in ore Famæ laudari meruit, hìc quoquè non tribuere, par esset velle decerpere, & invidenter suffurari aliquid ipsimet Justitiæ. Interregnum ordinariè turbis obnoxium, reddidit pacatissimum compositîs placidè animorum fluctibûs & reconciliatîs inter se Familiîs, quæ vivente Rege Augusto sibi ad invicem invisæ, infensæ & oppositæ erant. Hæc quies Domi, procuravit aliam foris, omni intùs animositate suppressâ, quæ Principum vicinorum minùs faventibus erga Rempublicam studiis arridere ac convenire poterat. Cæterîs ad normam Justitiæ, bonumquè Ordinem domesticum redactîs cùm de Indictione Comitiorum Convocationis Statuum generalis deliberaverit, non sine magnâ animi molestiâ relatum sibi habuit, quòd non expectatîs Literîs Universalibûs ad Palatinatus & Districtus pro Comitiolis particularibus, ac Comitia præcessurîs à Primate Regni, secundùm leges edi solitîs, Dominus Palatinus Cracoviensis quoddam conventiculum cum congregata nobilitate conflare præsumpserit, in quo factâ Confæderatione, primus erat Motor & Author constitutæ Extraneorum à Coronæ ambitu Exclusionis, ejusdemquè ibidem per se, ac per omnes alios illi Confæderationi adscriptos, Juramentô firmatæ. Credidissemus jam hodiè id insufflante Aulâ Viennensi fuisse factum, ut cùm præfatum Dominum Palatinum Cracoviæ ambitionis plenissimum, Spe coronæ lactasset, hoc stratagemmate ad celeriorem amplexum Sanctionis Pragmaticæ adduxisset Serenissimum Electorem Saxoniæ majorî vetitorum desideriô irritatum, appromissîs illi non obstante Extraneorum Exclusione omnibûs studiîs, suffragiîs, & viribûs ad potiendum Regno, cui Ipsemet Princeps velut sibi noto & benè insinuato succedere post Patrem, sub specie non ambien-

bientis, flagrantiſſimè cupiebat, prout qvod fuit in tenebris, jam nunc revelatum ſuper tecta. Interea actus ille Conſultationum privatarum præmaturus, legibûs prohibitus, muneriqvè Primatiali præjudicioſus, licèt in legitimis expoſt Comitiolis, ac in termino ſuo juxta Univerſales literas incidentibûs reprehenſus & illaudatus extiterit: Excluſio tamen à Throno Extranei nullis Civium non placuit. Sicqvè omnes Palatinatus & Diſtrictus ſecuti ſunt unanimiter hanc primitivam illationem Domini Palatini Cracovienſis, cum ea animi vehementiâ, qvòd omnibus Nuntiis Terreſtribus ad Comitia Convocationis Varſaviam miſſis, indiſpenſabiliter injunctum eſſet, ut Extraneus ad Coronam Competitor nec nominaretur. Ipſe Dominus Palatinus Cracoviæ id non negabit, qvi poſt tot Juramenta ſuper Excluſionem Extranei per ſe facta, admirandâ qvâdam fluctuantis animi inconſtantiâ in partes Factionis Saxonicæ ire & ruere non horruit. Tandèm in Comitiis convocatorum Statuum ſub Vinculo Generalis Confæderationis celebratîs, eadem Excluſio Extranei à Coronâ firmata, ab omnibus Jure jurando, Primati gratis, ac ejus pro principali ſuggeſtionibus, aut motivis, ex utroqve imputatur, qvia nec ad Excluſionem Extraneorum, nec ad Juramenta ſuper illam facienda, primus ſvaſor erat. Placitum, hoc ſancitumqvè fuit Univerſæ Reipublicæ, imò qvò certior eſſet in eo firmitatis qvoqvè Primatialis, Primum Illum ipſa ad Sacramentum fidei cum paratâ Juramenti Formulâ convenit & adduxit, ut hôc exemplô reliqvi idem facere non abnuerent. Primatem ſecutus juravit Epiſcopus Cracovienſis, ac aliis Jurantibus, ipſemet Juramenta per totum tempus patientiſſimè & amæniſſimo vultu dictavit. Qvis crediḋiſſet ſimulationem & diſſimulationem in Epiſcopo prorsùs ex totâ vitâ tollendam, in abdito cordis hæſiſſe; ùt dolus non modò erga Patriam, ſed etiam erga ipſam Divinam Majeſtatem, expoſt detectus patuit. Deindè ex ordine ſuo conſeqventer omnes jurarunt Epiſcopi, inter qvos Epiſcopus Poſnanienſis, jam modernùs Pſeudo-Electionis prætenſus Primas, & primus illius machinæ Architectus, cùm ad Juramentum præſtandum in conturbato non parùm animo acceſſiſſet, poſt præſtitum lætior, ac ſi Sacramentalem Confeſſionem feciſſet, & animam ſuam ab omni coinqvinatione mundaſſet, uni ex familiaribus & intimioribus amicis ſuis ibidem, & in continenti id recognovit.

Jurarunt Magnates, Proceresquè Regni, ac Magni Ducatûs Lithvaniæ. Venit quoquè turnus ad Dominum Palatinum Podlachiæ, qui

qui dùm hæſitare, & à Juramento declinare viſus eſt, nè coactus præſtaret, iam à genu flexo relevatus, poſtquè brevem deliberationem recollectô animô, factôquè non incongruô ſermone ſuper beneplacita Reipublicæ & Libertatibus, & utilitatibus ſuis non inimicæ, à qua uni Civium diſſentire, indecorum & magìs licentioſum, quàm liberum eſſet, ipſe ſponte ſua ad Juramentum admitti petiit, hîsquè propriô Zelô & clara voce additîs verbîs, quòd ſine omni mentis reſtrictione jurare vellet, tùm demùm cum magnis ac paribus ſuæ æquanimitati applauſibus omnium, admiſſus eſt. Quis poſthàc ſperaret tàm magnam in tanto Cive mentis & cordis revolutionem, ac fædiſſimam voti Deo emiſſi Irreligionem? Idem Juris jurandi Sacramentum explevit nullô exceptô omnis Senatus & omnis Equeſtris Ordo, nulli coactio illata, nulli non liberum relictum arbitrium. Licet naturam Confæderationis Statuum generalis hanc eſſe, ut magìs pluralitatem ſic, vel aliter opinantium, quàm Unius oppoſitionem circa Liberum *Veto*, ſequi opporteat; attamen & ab illo vel latum ungvem, non eſt diſceſſum, nemine protunc vetante, omnibûs ad tàm Sanctum Conſcientiarum Signaculum liberè accedentibûs.

Pro Peregrinis Legum & Conſvetudinum Noſtrarum, ut illarum meliorem haberent tincturam, nec crederent mendaciis, de oppreſſa quaſi libera voce in publicum ſparſis, adverſariorum noſtrorum unô admiſſô ſcelere nil non allegare ex iniquo audentium, adnotandum hìc non abs re cenſuimus, quòd omnia ſub Interregnis Statuum convocatorum Comitia per Confæderationes Generales celebrari & expediri conſveverint, prout in Volumine Legum inſerta videntur, hôc mediô in arduis Reipublicæ caſibus ſalutarî adinventô, inter Suffragiorum Unanimitatem, quamvis deſideratiſſimam ſed difficillimam & rariſſimam, fermèquè miraculoſam, & inter pluralitatem, quæ eſt anima Confœderatorum Statuum ad prævertenda externa molimina adæquatiorem & tutiorem, ubi unius vel plurium circa Liberum *Veto* oppoſitio, contra torrentem aliter ſentientium, non valeat. Illi qui ſtomachantur & malitiosè queruntur de non admiſſa in ultimis Varſavienſibus Convocationis Comitiis Libertate opinandi, meminerint præter alia antiquiora exempla, recentioris in Comitiis Pacificationis Anni 1717. in quibus ſub ConfœderationeReipublicæ peractîs, Vocis & diſceptationis adempto uſu, licèt contrà Ipſe Primas ac Anteceſſor hodierni, unà cum Ducibus Exercituum, ac aliis ex Senatorio & Equeſtri Ordine proteſtatus ex Conſeſſu Senatorio,

natorio, Rege in Throno ſedente, exierit & Proteſtationes ad Acta porrigi fecerit, nihilominùs quæ ibi ſancita & lecta fuerant, quia in multis utili & bono Reipublicæ conveniebant & conveniunt, hodiedùm pro lege lata indiſputabili habentur, per illos ſolummodò, quibus vel ex faſtu & Libertatis prætextu, vel ex privato Intereſſe loqui ac opinari volentibus non eſt permiſſum, iìsdem Comitiîs deniquè per deriſionem Mutîs-Appellatîs. Quarè eô temporis de oppresſa voce vetandi, nec Aula Viennenſis, nec Roſſiaca quidquam egerit, & quare illud Jus protegendi leges alienas, quod unquam uni earum, vel alteri nec competebat, nec competit, nunc in favorem conſciorum ac complicium factionis ſuæ arrogaverint, judicent ſemet ipſæ & in ejusmodi contradictoriis evidentiores inconvenientias ſuas deduci & convinci cum rubore fateantur, ſi quid adhuc verecundiæ ab iniquis & impudentibus attentatis ſupereſt.

Sicquè finitîs feliciter Convocationis Comitiîs eandem ominabamur proſperitatem & ſecuturæ Electioni tantò magis, quantò votiviùs prima glacies fracta eſt, factione Saxonica, quæ iam patens & potens evaſerat, viriliter ſuperatâ & retrusâ.

Sciendum quòd D. M. Rex Auguſtus multa poſt ſe reliquerit debita, quodquè ad illa examinanda & ſolvenda Sereniſſimus Elector Saxoniæ mittere non tardaverit Commiſſarios ſuos, qui ſiſtentes ſe Varſaviæ primâ ad ſpeciem Commiſſioni ſuæ operâ datâ & nonnullîs Creditorum ſatisfactîs, plurimîs ſpe fruſtratîs, iam non ampliùs privati, ſed Plenipotentiarii, publicîsquè Characteribûs muniti, quid in receſſu habuerint, combinatô cum Aula Viennenſi & Roſſiaca actoratu, manifeſtarunt in Comitiis Convocationis, impediendo palàm & omni niſu Excluſionem à Coronâ Extraneorum per ſuos tacitos Fautores & affidatos amicos aliquot, omnes deniquè nec modicas ſummas ſecum advectas ad clandeſtina molimina, corruptelas Civium, & ad ſemina diſcordiarum in Republica ſerendarum convertendo.

Optimorum tamen Civium zelô & virtute prævalente, ac illîs paucioribûs, qui ex Nuntiis Terreſtribus ad ſonitum Saxonici auri, aurem, Corquè Manusquè præbuerunt, contra Inſtructiones à Palatinatibus & Diſtrictibus ſibi datas, ut Extraneus ad Coronam non admittatur, nil ſeriò & palàm attentare audentibûs, Saxones cùm vidiſſent oleum & operam perdita, & Excluſionem Principum Extraneorum Lege ſcriptâ conſtitutam. Cùmquè eadem non leviter af-

 feciſſet

fecisset etiam Ministros tàm Cæsareæ, quàm Careæ Majestatis, tanquam factionis Saxonicæ comparticipes, Primus Legatus Imperatoris *Primatem* adiit cum Declaratione in scripto datâ, quod *Sacra Cæsarea Regiaquè Catholica* Majestas Libertates Regni hujus ex vi Pactorum & Fæderum cum Domo Austriaca antiquissimorum in integro colendas cordi habeat, & quicunquè ex Polonis & Terrigenis, liberîs Suffragiîs Electus Thronum conscendat, huic libenter annuat, sancita tamen Regni in quorum Integritate Vicinis & Fæderatis Potentiis multùm incumbit, illæsè observanda caveat & commendet: per id ænigma Serenissimi Regis STANISLAI à Corona Exclusione præintentâ: ac quod scripto deerat, ore Legati supplente, cum hac ejusdêm Declarationis scriptæ apposita Conclusione, quòd aliter Sacra Cæsarea Regiaque Catholica Majestas omnibûs viribûs suîs à Deo sibi datîs, ejusmodi Legum infractioni se opponere resoluta & parata sit. Alter Minister Moschoviæ eandem sustinendo Thesim, minas etiam more Gentis suæ ferociùs interposuit, quòd si Respublica, id quod Careæ Majestati placeat, facere nollet, videbit apud se brevi & sentiet Copias Moscoviticas iam in Confiniis Regni stantes, & ut illa transirent ac Poloniam invaderent, mandatum habentes.

Celsissimus Primas datâ illis responsione civilissimâ & pro dignitate Liberæ Reipublicæ, ejusmodi contra se Vicinorum attentata minimè merentis aut sperantis, ex nunc per expressum Cursorem ùnas Literas Nomine totius Orphanæ Reipublicæ scriptas, Viennam expedivit, alteras à se ipso Responsorias ad manus Domini Legati Cæsarei reddi fecit, in utrisqvè enixè rogando & obsecrando Sacram Cæsaream Regiamqvè Catholicam Majestatem, ut Jura Liberæ Regum Electionis nostræ, non necessariâ Legum Nostrarum protectione gravare nolit. Qvô autem tenore fuerint, non nos piget illas de verbo ad verbum inferiùs adiungere, ut omne publicum videat & judicet, quô zelô pro avitis Libertatibus nostris egerit Primas, & quòd obiectæ sibi auxiliorum sollicitationis, nunqvam etiam conscius fuerit. Ad Caream autem Majestatem Literas itidem paratas & Nomine omnium Statuum confectas, Dominus Comes Levenvold Supremus Careæ Majestatis Stabuli Præfectus, recipere non est dignatus, imò reditum ad Principem suam in animo turbato festinantissimè conceptum, in Regno alieno, ac si in Ditionibus Moscoviæ tumidè securus, sine Literis liberi passûs adortus est. Si id in alio Regno, aut alio Regni Statu fecisset, quid indè posset accidere, subjicimus

mus censuræ & Judicio Universi Orbis: Nobîs tamen Pacis amore & belli præproperè causandi horrore hanc unius Extranei, nec adhuc ullô publicô charactere insigniti indignitatem, modestè dissimulantibûs.

Cùm hæc ad evidentem Reipublicæ insultum & contemptum fierent, ac per Declarationes Aulæ Viennensis renovatas & repetitas, iam clariùs & distinctiùs Serenissimus Rex STANISLAUS è numero Candidatorum ad Regnum excluderetur. Imperiosa hæc voluntas permovit sensibiliter totam Liberam Rempublicam à nemine dependentem, Legumqvè suarum Protectionibûs extraneîs non indigam, ac sui Juris integram Dominam. Permovit intimiùs *& Sacram Regiam Christianissimam Majestatem*, *cujus Illustrissimus Dominus Legatus Serenissimum Regem STANISLAUM* antea Electum & Coronatum, iamqvè nunc Potentissimi Regis sui Socerum, Reipublicæ commendare & insinuare placidè ac svavissimè cæperat, nullîs minîs aut terriculamentîs adjectîs, imò laudabilissimè relictô liberô, liberæ huic Genti arbitriô, novam etiam instituendi Electionem, ad majus legum suarum complementum ac robur, per unanimem totius Electoris Populi assensum. Qvæ oblatio in tàm delicatâ rerum prensatione consistens singulis Polonorum placuit, Universorum Corda, ad bona erga Nos Galliæ studia, ita traxit & rapuit, ut toti deniqvè Reipublicæ consultiùs, æqviùs ac naturaliùs videretur postulanti Potentiæ annuere, quàm minanti se subdere.

Interea ut mos est Nuntiis Terrestribus ad Comitia Generalia missis, eorum qvæ acta sunt, rationem dare coram suis Palatinatibus & Districtibus. Appropinqvavit terminus indictus Comitiolis Relationum, ad qvæ, ut in aliis locis Nobilitas Terræ Varsaviensis congregata Varsaviæ, cùm consultationes suas inceperit, Plenipotentiarii Saxonici per comparatum sibi Unius ex Nostris certô pretiô obseqvium, ausi sunt qvendam famosum libellum Typîs impressum, Reipublicæ enormiter insultantem, Comitia Convocationis unà cum Exclusione Extraneorum à Corona detestantem, Jus Electori Saxoniæ ad Regnum allegantem, & qvidqvid pessimi dari poterat ad noxam Reipublicæ, & Unionem animorum inter Cives rumpendam, in se virulentissimè complexum, in medio Procerum, Officialium, ac Nobilium distribuere, & ad legendum invitare. Qvid indè evenerit & qualiter expost in ea materiâ, inqvè tàm indigno casu ad Sacram Cæsaream Regiamqvè Catholicam Majestatem Primas scripserit, haud

in-

inconveniens duximus easdem literas ad notitiam publicam dare, & aliis prioribus consequenter adnectere, cum brevi exnunc hiccè reflexione super Jura Gentium.

Fatemur Ipsi illa deberi religiosissimè observari, cùm in iis constet & Regnorum omnium Authoritas, & ratio rerum per Ministros eorum securè & honorificè tractandarum. Sed qværimus eos, qvi qveruntur de Juribus Gentium læsîs, an Jura Gentium sunt constituta ad injustitias & injurias in iis locis, in qvibus coli prætenduntur? Nonnè abusus Juris tollit beneficium Juris? Nonnè Jura Gentium priùs & exactiùs observari volunt, ab illismet ipsis, qvi missi pro tractandis negotiis, ad leges non cum legibus veniunt? an permissum est Ministris Extraneis ultra Sphæram Negotiationum suarum immodestè ac arroganter excedere, seditiones ac turbas ciere, in sinu suo proprio Reipublicæ insultare & eam impetere? attamen ad tàm atrox facinus satis moderationi datum, quòd ex Decreto Judiciorum stante Interregno Capturalium modica ultio & pœna per damnatum ad rogum eundem famosum Libellum extensa sit. Ipsîs ejusdem Authoribûs coram furore Populi adhùc in salvo manentibûs.

Deniqvè si se læsos & injuriatos ejusmodi sat mansveto actu opinabantur, poterant statìm abire ex Polonia, sed concatenatìm cum præfatis sibi intimissimis Externis Ministris manere voluerunt Varsaviæ, ut ulterioribus insimul factionibus operam & opem darent. Secundùm Consvetudines & Confæderationes Statuum sub Interregnis in Volumen Legum insertas: secundùm Constitutiones antiquiores & recentiores, omnes Legati, & quicunqve illi fuerint Ministri Exrranei tenentur abire Varsaviâ, & abesse à Campo Electorali. Illi verò ut id facerent, per Supremum Regni Mareschalcum, Cui hæc denuntiatio de Jure convenit, requisiti, datîs aliquibûs flocci pendendîs rationibûs, non posse ex Residentiis moveri, nec stationem suam deserere, tumidè responderunt. Nonnè hoc est per illosmet ipsos Jura Gentium violari, cùm una quæque Gens Jurium ac Legum suarum, qvibûs regitur sit Zelosa Observatrix & Domi Suæ Extraneorum insolenter agentium, intollerantior.

Tandem ad Comitia Electionis ventum, in qvibus non obstante omni conatu & molimine earundem Potentiarum inter se colligatarum, ut Rempublicam in diversos sensus dividerent, tùm generosissimè spreto terrore appropinqvantium Copiarum Principis Rossiacæ in Campo Electorali Legibus designatô, qvem numerosissima

omnium

omnium Palatinatuum, Terrarum, Diſtrictuum utriusqve Gentis ſub ſignis Nobilitas ad Sexaginta & ampliùs millia Hominum aſcendens, impleverat usqve ad gratiſſimum oculis tantæ multitudinis benè armatæ aſpectum, nemine contradicente, omniumqve unanimi voce, votô & labiô ad triplicem Primatis, utrùm ſit concors aſſenſus, interrogationem & Nominationem, Electus & proclamatus eſt in Regem Sereniſſimus STANISLAUS.

Mirari ſatis non poſſumus Principem Eugenium adjeciſſe facilè magnæ Authoritatis ſuæ fidem falſiſſimis relatis de factâ qvaſi vi Liberis Suffragiis. Nam nec à Primate, nec ejus ſuggeſtu minima ulli illata fuit injuria, aut qvaliscunqve intenta comminatio, per qvam liberè ſentiendi deterreretur vel cohiberetur voluntas. Tumultûs, diſſenſionis aut alicujus violentæ cædis, nulla etiam imago vel ſimilitudo erat. Conſperſum Sangvine Campum non diffitemur ſed nimis dolendo caſu, qvia unus ex Polonis & Stemmate & perſonali dignitate clarus, Diſtrictûsqve ſui, qvem duxerat, Anteſignanus eo tempore, quô in teſtimonium gaudii de felici Actûs Electionis conſummatione, Univerſus Elector Populus ignem edebat ſclopetarium, neſcitur à qvo & qvaliter globô percuſſus Vir mediæ ætatis, & magnæ in Republica Spei in aliqvot poſthàc diebûs obiit velut in Prænuntium ac dirum omen hujus belli cruenti, qvod nunc innocuè & immeritè à prædictis Potentiis ſuſcitatum patimur.

Qvi autem huic numeroſiſſimæ in omni formâ, ritu & harmoniâ expeditæ Electioni circa exordium ejus, adeſſe noluerunt, & tàm contra Juramenta ſua, qvàm contra Manifeſtationem Statuum generalem in & contra Introductores Exercitus Moſcovitici factam, à ſemetipſis ſubſcriptam, ſe ſubtraxerunt, & in aliam Viſtulæ partem clandeſtinè tranſierunt, iniqvitatis magnete trahente cor ferreum & efferatum contra Patriam, qvia in loco & tempore nullam reclamationem fecerint, aut fieri ſaltem ſubordinaverint, nullum Actui legitimo præjudicium inferre, nullam notam Liberæ per omnia Electioni inurere poſſunt. Prout & Illi qui per totum ejus tractum aberant, & ad alteram ripam Viſtulæ, ut ad fluvium Babilonis ſedebant, expectantes adventum Moſchorum, non modò pro abſentibus, ſed etiam pro hoſtibus Patriæ ipſô factô, ac iam pro avulſis à Corpore Reipublicæ membris reputabantur & reputantur.

Objicit demum Primati Princeps Eugenius, qvòd contra omnia à ſe præſtita Juramenta ad proclamationem Regis STANISLAI

 com-

compluribûs Concivium Millibûs fruſtra obnitentibûs procederet. Tàm crudelis impoſtura, nec objicienti convenit, nec Primati in eo qvô eſt Statu, ut malit vitam perdere, qvàm Juratam Conſcientiam lædere. Ubi erant hæc Millia reclamantium, cùm nullum os eſſet in Campo Electorali ad contradictionem, & cùm ex illa parte ſeditioſa adhuc hodiedùm non eſſent Millia, qvamvis vi & armîs ad recognitionem Electoris Saxoniæ cogantur.

Qvalis deindè probatio bonæ & ſanæ illius Partis contraRempublicam aſſurgentis, qvòd licèt à Varſavia longè aberant adhucRusſorum Copiæ, Illi tamen qvibus Patriæ ſalutem curæ, cordiqve eſſe dicit Princeps Eugenius, perſtitere in diſſenſu ſuo. Judicatur hæc laudabilis conſtantia ex lapſu in malum deliberatiſſimo, videtur hæc Salus Patriæ inter hoſtiles torturas gementis. Nonnè illos hoc ipſum condemnat, qvòd à Republica diſſentire & cum Moſchis convenire maluerint? Non immeritò in Campo Electorali à Statibus factâ Manifeſtatione apellati genimina viperarum, non fœtus hominum, qvibus nulla ratio, nulla pietas erat velle ſævire in propria Matris ſuæ viscera.

Iverunt obviàm Moſchis, qvia illos vocarunt & vocatos qvantocyùs deſiderarunt; flagitium enim ubi perpetrandum eſt, non patitur moram, nè deliberatione & ſanioris acceſſu judicii, qvod intenditur, remittatur ac elangveſcat.

Addit acerbiùs Princeps Eugenius, qvòd integrum illis erat vel ad Regis STANISLAI exemplum fugam arripere. Magni Herois mentem tàm ineptîs explicari verbîs, qvis autumaret? Cùm Regum & Unctorum Dei convitia ipſam Divinam provocent & irritent nemeſim.

Sereniſſimus Rex noſter potuit prævias & ſe concomitantes habere legiones, ſed cum illis nec portum Maris, nec limina Patriæ attingere voluit, nè ejusmodi armato acceſſu minimum etiam Liberæ Genti ac Liberrimæ ejus Electioni præjudicium inferre videretur. Superatîs viarum ſpatiîs, inſidiarum obſtaculîs, ſolus in hora opportunâ comparuit, magis voluntati Domini Dominantium & benevolentiæ erga ſe Civium, quàm vanæ confiſus potentiæ: exindèqve illæsîs Legibûs, ut ad ſua rediret deſideratus, tantò cum majori ſuorum amore receptus, non invenit ullum Polonum Regni Exercitum, cui abeſſe ab Electione & limitibus cuſtodiendis adeſſe lex juſſerat. Appropinqvantibûs autem Varſaviam Moſcoviticîs Copiîs, nullîsqve ad reſi-

resistendum circa se habitis viribus, svasumne habuit Salutem suam, in qva Salus Patriæ, evidenti obtrudere periculo? Cùm omnes deniqve Palatinatus, Terræ, & Districtus utriusqve Gentis ad Comitia Electionis congregati actu finito ad Penates suos abjierint, nunqvam impietatem aliqvot degeneratorum Fratrum suorum eò devenire rati, ut Moschis ipsi manus darent & illos apertè amplexi contra suam hostiliter animarent Patriam.

Regiæ excessu Clementiæ & Primatialis Pietatis Culpâ factum, qvôd fervor & impetus eorundem Palatinatuum adhuc sub signis stantium & contra seditiosos ire turmatim omninò volentium, retentus fuerit, parcendo sangvini, qvi hodiè pruriens & insolescens est caussa malignæ febris, qvâ tota concutitur Europa, non modò hæc prima præda furentum misera Respublica. Sed illi Proditores Patriæ sciebant qvò fugerent, cùm ad Domos suas non esset securum, manente super illos Reipublicæ Judicio pro inaudito ausu & exemplo inductorum in Regnum hostium ad evertenda Liberæ Electionis Cardinalissima Jura.

Desperatio acceleravit non obvios passus, sed præcipitem dementemqve fugam ad Exercitum Moscoviticum, cum qvo coniuncti, aut potiùs illi incorporati post Electionem Serenissimi Regis STANISLAI peractam, in spatio & decursu trium circiter septimanarum, novo totaliter & illegalissimo progressu, Pragæ extra Vistulam non in Campo secundùm Leges consvetô Electorali, nullis observatis Solennitatibus sub illegitima Episcopi Posnaniensis Nominatione, Jurisqve Primatialis sibi contra Juramentum præstitum arrogatione, penitùsqve toto Legum & Reipublicæ everso Statu, in parvo conspiratorum cætu famulitiis ac variæ farinæ hominibus exauctô, ausi sunt, ac plùsqvàm temerè præsumpserunt ad secundarium Pseudo-Electionis Actum descendere, & non attentâ Exclusione Extranei Juramentis firmatâ Serenissimum Electorem Saxoniæ in Regem Poloniæ proclamare, reboantibus tragicum omen tormentis hostilibus. Qvis unqvam audivit Liberas Regum Poloniæ Electiones eô modô fieri? Ab armis Moschoviticis premi, compelli, exigi, ut hic sit, non alius, qvi Thronum conscendat, abjectis & derisis nonnullorum æmulis ibidem ad Coronam Studiis? Qvis vidit solio imponi eum Candidatum, qvi inter Candidatos iam Lege vetante non erat? Qvis non stupebit contra tot millia liberrimorum sensuum ausum insolentem Civium aliqvot perditorum ac implacabilium suæ Pa-

triæ, avitæqve Libertatis Proditorem? Qvis credet pauciſſimis Perduellibus & in reprobum ſenſum euntibus poſſe erigi criſtas contra totam optimè ſentientem Rempublicam?

Attamen Princeps Eugenius, qvi paſsim principali Virtutum ac realitatis vel maximè famâ claruit, neſcitur qvô nunc animô geſtit, hanc Pſeudo-Electionem nanam, deformem, irregularem & illegalem adornare, tueri & legitimare. Enormia figmenta qvibûs veritati illuditur, gratis tentare aut ſperare. Minimam etiam magni & Circumſpecti Veſirii credulitatem delibare, tantò magis invenire fidem apud Præfulgidam Portam, cujus clariſſimo in rebus diſcernendis lumini hos fumos & fucos objicere non eſt pudoris.

Qvalis ibi fuerit Eligentium numerus, contumacium manipulus, declarat & deſcribit eum ipſa ad vicum Grochovienſem loci anguſtia Sylvis ac ædibus intermixta, qvæ nec unius numeroſi Palatinatûs ſe ſub ſignis expanſis præſentaturi, capacitati ſufficeret. Nam eundem locum qvem Electione Henrici Valeſii auctorare prætendunt, nuda olìm in latum & longum detegebat planities, hodiè verò magnîs excretîs altîs iam horret arboribûs. Præterea pro illo tempore qvamvis mediante totius Reipublicæ concordi aſſenſu, unum datum exemplum nil valet pro præſenti, nullâ Lege ſuffultum: Cum Reſpublica alium commodum, fixum & immutabilem, imò Actibus Electionem formalibus virtutem & validitatem qvandam additurum locum Campo Electorali tot & tantîs Confœderationibûs ac Conſtitutionibûs Regni aſſignaverit & præſcripſerit. Aliàs admiſſô hôc inſolentî præjudicatô per omnes pagos & villas fieret Electio toties, qvoties factionibus extraneis obnoxii Patriamqve ſuam venumdantes darentur Cives.

Qvarè Illimet ipſi cum alios iam errores non curarent, ſaltem huic defectui ſubvenire omni niſu contendebant, ut traiectô per Viſtulam Exercitu Moſcovitico in Campo Electorali conſvetô, Legibusqve cautô, proclamationem ſui Principis feciſſent. Sed valore Exercitûs Regni qvantocyùs ex propioribus ſtativis ſuis conducti, licèt in pauciſſima protunc qvantitate armorum & tormentorum reperibilis, per duas & ampliùs ſeptimanas internox & interdiu vigilem ac fortem reſiſtentiam experti & repreſſi, cùm deſperaſſent tàm citò adire Varſaviam & transmeare Viſtulam, in eadem ejus ripa, qvam ſeditiosè inſederant, ad extremùm ſuas vociferationes in favorem Electoris Saxoniæ fecerunt.

Hôc locô Princeps Eugenius nos carpit atrociter, objurgando coram Magno Vesirio, qvòd in illo nostro, cum Moschis trajectum Vistulæ omni vi & viá tentantibûs, operoso luctamine, nec sacer qvoqve omnibus Gentibus Legatorum Character à contumelia & insultibus immunis erat, & eò vesaniæ à nostris processum, ut inauditô exemplô Palatia Extraneorum Ministrorum habitationi destinata, militaribûs Copiîs, bellicîsqve tormentîs aggrederentur, vi expugnarent, & expugnata diriperent. Jam de Juribus Gentium, ubi qvaliter & in qvalibus rerum vel temporum circumstantiis observari debeant, altius, ut credimus sufficienter differuimus, ex occasione ejecti in publicum per Saxones famosi Libelli: hìc tantùm qvò ad factum Principi Eugenio respondendum est.

Inaudita & magna exempla semper habere aliqvid ex iniqvo. Auditumnè fuit aliqvando, ut Ministri Extranei ad Regiam pro exercendis qvietè muniis congregati, in Residentiis suis clandestinè inclusam pedestrem & eqvestrem Militiam haberent, armatam, à tergo in Polonos ruituram & succursuram hostibus, illos à fronte invasuris, qvò faciliùs transirent Vistulam & Varsaviam occuparent? Hîs moliminibûs detectîs Illustrissimus Dominus Palatinus Kijoviæ justâ nec illaudabilî ad ejusmodi plusqvàm fraudulentos actus circumspectione, confestim dedit Mandatum, ut Milites Moscovitici apud Ablegatum Principis Rossiacæ armati, & fermè ad pugnam parati interciperentur. Ad Palatium verò Defuncti Regis Augusti, in qvo erat suspectissimus Saxonum cætus, misit pro revisione facienda, qvalis & in qvem finem esset hominum armatorum numerus, hôcqve qvietè peractô, voluit Palatium illud in salvo & tuto haberi. Sed cùm clausæ portæ essent & negato aditu Saxones ferociter responderent se non passuros ullatenùs aliqvam revisionem; statimqve eâdem fermè horâ in stabulis Regiis, non longè extra idem Palatium sitîs, plurimi eqvi Saxonici iam ephipiati, nec nisi ad ascendendum desiderato eqvite essent inventi: Unum & aliud majorem peperit suspicionem Domino Palatino Kijoviæ, sicqve contumaces vi aggredi opus fuit. Qvibûs, ut in Castello aliqvo hostiliter se defendentibûs non sine dolenda cæde non paucorum ex nostris, demùm saniùs rediit judicium, ubi furiosis ultimum instabat periculum.

Concessôqve Palatiô Ipsi veniam & vitæ gratiam petierunt, qvæ & indulta est ex clementiâ, non ex Justitia ad ejusmodi ausum, in Palatio armorum & eorum, qvæ belli sunt, magnam copiam in-

ventam esse, ac si ex hoc clandestino & minùs opinato fortalitio, aliqvid præmeditatè funestum prodire debuerit. Saxonum itaqve pervicacia & malitia culpanda est, non Polonorum apellanda vesania, qvibus naturaliter licitum fuit pericula sua prævenire & prævertere, nec Jura Gentium id defendunt. Plenipotentiarii autem Saxonici relicto fomite hostilitatis notoriæ in Palatio Regio, ex eodem anticipativè Ipsi unà cum Ablegato Moscoviæ transmearunt ad Palatium Legati Cæsarei. Qvod ex nunc clausum, portæ magnîs trabibûs ab intra obrutæ, cuncta in circumcirca in armis & violentis studiis parata; Cùm nullum adesset periculum, nulla oppugnandi cogitatio; adeò mala conscientia parit timorem, timor qværit inconsulta remedia. Sanô judiciô opportuitnè se occludere, aut pavore aut animositate malè svadente? Cùm hæc defensionum præparamenta essent ridicula, solusqve eorum Character staret pro Scuto & Præsidio circa insignem prudentiam Domini Palatini Kijoviæ. Non nos ergò, ut Princeps Eugenius accusat, sed illimet ipsi sunt Violatores JurisGentium, per tàm crudeles in sinu Reipublicæ machinationes.

Cùm tamen scirent ipsosmet Legatos Externos sæpenumerò incurrisse personaliter in pericula, quòd illa qværerent nimìs suis fidendo muniis. Toties Illos audivimus malè tractatos fuisse, qvia ut benè tractarentur, non meritos, & sphæram suam insolenter transgressos. Unusqvisqve eorum in Regno extraneo hospes est, Juris hospitiô utatur, non abutatur: nec (ut ita dicendum) in aliena Domo immodestè se gerat, turbas excitet, Patriqvefamilias insultet, aut qvod criminalius est, illi insidias struat. Hæc sufficiant Principi Eugenio Jura Gentium, qvamvis per nos minimè læsa fuerint, sic acriter declamanti, & nostras infinities majores injurias clàm prætereunti & flocci pendenti.

Silere autem & nos non possumus, ubi figuratè Princeps Eugenius tacendo Regni Leges enuntiat, qvibûs in antè SerenissimoRegi STANISLAO aditus adRegiumPoloniæ solium occludebatur. Si deberemus, ut opporteret, ab origine causas repetere, earum effectus, ac circumstantias deducere, in longum iret discursus, sed breviori viâ ad nucleum rem petere & penetrare, visum est. Jam pridèm publicum notumqve omnibus, qvaliter D. M. Rex Augustus, præter alia Liberæ Genti Polonæ gravia & intolerabilia, ob suscitatum inconsultâ Republicâ Sveticum bellum generali Varsaviensi Confœderatione Statuum, indubiè trinas Reipublicæ partes in se

com-

complexâ, ſi in qvatuor dividenda eſſet, à Regni habenis amotus, & in locum ejus in Campo Electorali Electione formali Rex STANISLAUS Electus, proclamatus ac deindè Coronatus fuerit.

Qværitur; nonnè Tractatus Altrantſtadienſis complevit reliqva, & firmavit ad Thronum jus ejus integrum, ac indiſputabile? nonnè ab omnibus Potentiis recognitus, & primariò ab Auguſtiſſimo D. M. Romanorum Imperatore Joſepho I.? Si placuit illi, cur non Fratri? ſi antea fuit legitimus, cur non hodiè, iam ab univerſa denuò & unanimi Electus Republica? Qvomodò poteſt occludi aditus ad Regnum, ad qvod antè pleno Jure habitum, nunc redit pleniſſimô, cùm iterùm demiſsîs Regiîs Inſigniîs, novis liberæGentis ſe obtulerit ſuffragiis? Qvomodò Miniſtri Aulæ Viennenſis, vivi adhuc Teſtes illius recognitionis Imperatoriæ, contra Conſcientias ſuas præſumunt velle Regio Honori occludere portam, qvam in Campo Electorali rurſùs concors & conſtans, tot millibûs congregatorum manus unanimiter aperuit, cum patulis etiam ad gaudia Univerſorum Cordibus, qvòd Patria Filium ſuum, Patremqve ſimul ac Dominum Throno reſtabiliri videret? Decorumnè aut honeſtum Aulæ Viennenſi non conſtare ſibi, & pro diverſitate temporum ac negotiorum diverſas in ſe ſumere formas?

Si Sereniſſimus Rex noſter à nobis tàm diù aberat, id fuiſſe Fortunæ vitiô, qvòd ſervatus noſtræ felicitati fuerit, & incolumis ad nos redierit, nonnè id tribuendum Cœli, erga nos adhuc faventiſſimi, beneficio, intra tot hodiè Libertatibus noſtris intentos ictus? caſus & viciſſitudines poſſunt deprimere, non autem tollere Juſtitiam, qvam Deus ipſe protegit & in tempore ſibi placito, illam ſimul, ac jus Majeſtaticum relevat.

Subſecutâ Exercitûs Svetici ad Pultaviam clade, D. M. Regem Auguſtum, iam factô per Abdicationem cum Regno divortiô, ad Regni Sceptra reverſum, nec cum Republica iterùm Sponſâ, novô votô, aut aliqvo contractu, vel ſolennitate rejunctum, in armis regnantem, nilqve ardentiùs ac ſtudioſiùs, qvàm Corrivalis ſui Proſcriptiones ac Anathemata affectantem facilè qvæ voluit, cuncta ſecuta ſunt. Aliîs, qvi iam erant ſuarum partium, & in illa rerum Metamorphoſi indè glorioſiores, ferventiùs voluntates Principis amplectentibûs ac promoventibûs. Aliîs præſentem fortunam adorantibûs, & illi ſe pro ſuo utili inſinuantibûs, aliîs & ſi ſentirent aliter, genuinè ſenſum ſuum ad offenſionem Principis, proferre non audentibûs.

tibus. Pertæſa deniqve turbarum, tumultuum & bellorum Reſpublica, iam ſoli qvieti devota multa tulit, & ferre maluit per diſſimulationem, qvàm per irritationem præteritas reaccerſere calamitates, Aſſentatio amica Principum & cubicularia ſemper intùs, Juſtitia & veritas præ foribus, ſic pravi mores in ſe traxerant Leges.

Sed nunc poſſet aliqvis non incongruè objicere, an illo tempore, qvô contra Sereniſſimum STANISLAUM acta & lata ſunt, ritè & legitimè agebantur, qvamvis (ut Princeps Eugenius aſſerit) unanimi trium Ordinum conſenſu firmata. Cùm Primus Regius Ordo ipſe eſſet ſub cenſuris illigitimæ ſuæ cum divortiatâ Republica cohabitationis, & magìs ex ſupremo jam arbitrio, qvàm liberô Juſtitiæ patrociniô, aut per Confæderationes, qvibûs altefata Generalis Varſavienſis Confæderatio oppreſſa qvidem, ſed non extincta, in tacito erat oppoſito, aut per magna ad Latus Principis Conſilia, aut per alios alterius vocabuli publicos congreſſus, omnia ſtatuerentur. Et qværimus an prætenſæ condemnationes & proſcriptiones in ejusmodi congreſſibus deciſivè ſtatui & ſub nomen Legis latæ trahi poterant? Cùm ſecundùm jura noſtra nullus Civium, qvisqvis ille ſit, reus criminis Statûs, non niſi in generalibus Regni Comitiis inſtituto formali Proceſſu, per totam Rempublicam judicari, & ſi id mereatur, condemnari & proſcribi debeat. Ubi autem contra Sereniſſimum STANISLAUM talis inſtitutio proceſſûs? ubi Judicium? ubi Decretum? ubi deniqve Comitia in qvibus hæc proſcriptio formam, vim, Virtutemque ſuam accipere poterat? A rehabito per D. M. Regem Auguſtum Thronò prima demùm in Ao. 1717. fuerunt Comitia Pacificationis præcisè id nominis nacta ex neceſſitate roborandi Tractatûs, qvi inter Regiam Majeſtatem ab una, & inter confæderatam contra Saxonicas Copias, Rempublicam, ad ſiſtendum tanti ſangvinis ad invicem effuſi Cathaclismum, concluſus erat. Attamen in his Comitiis qvalitercunqve apellandìs non eſt ſævitum in Honorem Sereniſſimi STANISLAI, imò ſat molliter cautum in abuſurum amneſtiâ, hôc rigore Legum interpoſitô, qvòd ſecundum illas puniendus eſſet: pænîs autem legum ſemper præſupponentibûs Convictionem & Judicium. De qvo aut de proceſſu ad illud formandô, nulla deindè mentio fuit in Comitiis generalibus, jam non ex Confæderatione Statuum contra Saxones promanantibûs, ſed in pactata Reipublicæ in Ao. 1726. Grodnæ celebratîs, feliciterqve finitîs, ac quorum rituatâ ſolennitate Jus Regium, qvamvis tacitæ in animis Civium ambiguitati

guitati & disputationi adhuc obnoxium, ipsi tùm deinceps Majestati agnitum, legitimatum, & firmatum est, ad alias non evertendas in Regno, aut in dubium vocandas necessariè & utiliter factas, tàm longo Ejus Dominii tempore, dispositiones.

Qvantùm verò ad Tractatum prædictum in Ao. 1717. confectum. Ad Illum mediationem Authocratoris olìm Russiæ Petri I. non nisi eô motivô susceptam fuisse, ut externæ Copiæ Regno graviter incubantes, citiùs & juxta stipulatum evacuationi terminum, certiùs educerentur. Et in hoc sponsionem qvoqve ejusdem Monarchæ non potuisse præjudicare Reipublicæ, si adjuncta expressè fuisset. Sed ut Sponsor, Evictor & qvasi Arbiter esset Legum ac Constitutionum Regni, qvarum cura & tutela Vicinis Principibus minimè convenit, & qvas Reipublicæ à nemine dependenti, apud se condere, tollere, immutare liberum ac absolutum est: ad hoc absurdum, nec illa unqvàm immunitatum suarum zelosa ac provida assentire potuit, nec id in Comitiis Pacificationis inter Articulos insertum fuit, Aulâ Viennensî insimul cum Rossiacâ falsò allegante id, qvod cuperet, ut Libera Respublica, si qvæ statuenda vel decernenda illi apud se essent, pro eorum assensu ac approbatione Viennam aut Peterburgum recurrere opus haberet.

Conveniet ergò nobiscum ipse Princeps Eugenius, nisi absolutè & irrationabiliter disconvenire velit, qvòd si qvid in antè eâ irregularitate, quæ deducta est, contra Serenissimum Regem STANISLAUM fuit prolatum, nunqvam illi præjudicare potuit, aut saltem, si pro lege haberetur, cujus vim non habet, tamdiù Serenissimo Regi Augusto valuit, qvamdiù vixerit. Cùm post Fata ejus, cujus intuitu qvoqve in præfato Tractatu Anni 1717. Mediatio Rossiacæ Potentiæ erat admissa, integrum liberumqve fuerit Reipublicæ Principe orbatæ ejusmodi sancita statim tollere & cassare. Qvod & fecisset indubiè sub Interregno, ubi eadem statuendarum & abrogandarum Legum est potestas, qvæ est vivente, & in solio sedente Principe, si illos actus contra Serenissimum Regem STANISLAUM per modùm Legis affectatos, qvi demùm per se ruebant, & cum morte Regis moriebantur ad gravem eorundem & acerbam commemorationem damnare & annihilare sibi benè svasum, consultumqve judicasset.

Qvapropter nullam posse dari rationem, qvæ excuset Externas Potentias, nullum jus aut ejus saltem rationabilem aliqvem præ-

textum ad alienum Regnum inqvietandum habentes; nec ullam esse rationem, qvæ illas non convincat & coarguat maximæ injustitiæ, immanis malitiæ, & factæ secum execrabilis Conventionis, ut Liberam Gentem everterent, & illi simile jugum, qvale est Hungariæ & Bohemiæ, imponerent.

Princeps Eugenius (sit venia dicto) apparet ipsemet esse ejus perniciosi Consilii Author, cujus fit hodiè acerrimus Tutor. Nullius honori ex optimis & numerosissimis Civibus parcit, paucissimis pessimis contra Rempublicam assurgentibus, virtutis, honestatis, constantiæ, ac intensi ergà Patriam amoris, vana nomina attribuit, seditiosos laudat, seditionem, ut aliqvid liberrimum & legitimum, tuetur, contra expressum Articulum Tractatûs inter Augustissimum D. M. Romanorum Imperatorem Leopoldum & Serenissimum olim Joannem Tertium in An. 1677. initi, ac ejusdem recentiùs in Anno 1732. Varsaviæ renovati & firmati. Pseudo-Electionem ad sidera tollit coram Magno Vesirio, nil illi defectuosum, dissonum, Libertati aut unanimitati contrarium admittit, imò utrumqve actum inter se comparandum, Authoritatis suæ incurius, ridiculè affectat. Jam in publico sunt Parallela, à qvocunqve edita fuerint, non possunt non laudari, nisi qvibus veritas odium pariat. Sed ut Principis Eugenii desiderio satisfiat, pro meliori ejus informatione ac fide, nos qvoqve illa brevissimè referemus. Hìc erat Electio, ibi Pseudo-Electio. Hìc lex, ibi illegalitas. Hìc forma, ibi difformitas. Hìc ritus, ibì omnia nova & insolita. Hìc Justitia, ibi iniqvitas. Hìc jus, ibi injuria. Hìc Conscientiarum puritas, ibi crimina Statûs, & periuria. Hìc animorum tranqvillitas, ibi turbulenta seditio. Hìc amor Patriæ, ibi inexorabilis furor. Hìc planum, ibi abruptum. Hìc salus, ibi interitus. Hìc Campi Electoralis arena spectabilis, ibi spelunca. Hìc Senatui Consessus honestus, ibi locus diversorii. Hìc Ordini Eqvestri suum ut moris Vallum, ibi vallum ex Exercitu Moscovitico. Hìc Comitia de Lege, ritu, & termino, ibi conventiculum hìs omnibûs demptîs. Hìc Veritas & Ordo, ibi error & confusio. Hìc Mareschalcus Eqvestris Ordinis ritè Electus, ibi exlex Director cæco impetu assumptus. Hìc Millia Electoris Populi, ibi pusillus Grex Perduellium. Hìc sua propria Gens ad suffragia, ibi cum seditiosis promiscui Moschi, Cosaci, & Calmucensis, horridus aspectu, populus.

lus. Hic Nominatio per Primatem legitima, ibi per Epiſcopum perjurum ſacrilega. In Summa, hic Libertas, ibi ſervitus, ut illam depingunt originales Literæ Domini Generalis Lacy de $\frac{24.\ Septembris}{5.\ Octobris}$ ad Dominum Bironem Peterburgum miſſæ, & à noſtris interceptæ, qvòd in illo exiguo, adhuc tamen inter ſe diſſono cætu volentes nolentes, alios perſvaſionibus, pollicitis & adhortationibus, alios Minis ad ea, qvæ è nutu Principis Roſſiacæ erant, compulerit.

Ægrè fert etiam Princeps Eugenius Reipublicæ, qvòd Exteros amoverit à Regio Poloniæ Faſtigio, haud excluſos Legibus; qvaſi illi non liceret, de novo eas ferre contra Extraneos, qvas tulerat contra Terrigenas poſt fata Sereniſſimi D. M. Joannis III. nullo habito reſpectu Filiorum Principis tanti, & tot de illa meritis Commendatiſſimi, in numero terno exiſtentium ab Avis & Atavis; ac longiùs retrò Polonorum, inter quos poterat fieri vera Liberaquè Electio, & nec minima ſucceſſionis ad Regnum nati poſt Patrem apprehendi umbra. Errat autem Princeps Eugenius ſuo in ſuppoſito, has nobis leges eſſe, ut ſecundùm illas Principes Regii, qvia Regum Filii, jam non pro Exteris, ſed pro Piaſtis reputentur, qvamvis ſint ab exotico ad Regnum liberum, liberè vocato Principe & extra ſinum Reipublicæ procreati, & ſorte naſcendi hæreditarios externos, qvibus ſuccederent Ducatus nacti. Meliùs illas novit Elector Saxoniæ, & ſe ipſum ut extraneum: cùm per ſuos Plenipotentiarios in Comitiis Convocatorum Statuum omni conatu & molimine Excluſioni à Corona Extraneorum ſe oppoſuerit. Sed fruſtratus intentô, ut tamen titulum & acceſſum aliqvem ad ſuffragia pro ſe comparanda in futuris Electionis Comitiis haberet, jam deindè Piaſtis (hoc eſt) Terrigenis ad Regnum Competitoribus, omninò ſe adnumerandum affectavit per certum in lucem editum qvoddam Genealogicum & declaratorium ſcriptum, qvòd utrisqve ſuis Parentibus ex Jagellonico ſangvine in ſexu & nexu muliebri per orbem diffuſô longâqve ſerie deſcendentibus ac oriundis, ipſe qvoqve iam non Germanus, vel Saxo, ſed totus Piaſtus & Polonus eſſet. Qvô ſcriptô admodùm lepidô & ingeniis rem tàm difficilem evolventibus violentum ſudorem intulit, & ipſe immoderatum hujus Regni, ad qvod vi etiam iturus eſſet,

 appe-

appetitum patefecit. Polonis ad hæc & ridentibus & in aversione ejus neo-Poloni seu Piasti Regnum taliter ambientis, magis & magis ad unionem animorum se accingentibus. Sed Aula Viennensis (parcat nobis) fons omnis mali, qvæ Serenissimum Regem STANISLAUM, anteqvam cum Rege Christianissimo sic intime conjunctus fuisset, ipsa absqve dubio & cum affectu ad Thronum manuduxisset, nunc non tàm Causa illius, cujus Electioni ad solium Leges Regni contrarias prætextuose & impertinenter allegat, qvàm odiô naturali Galliæ, ac illi per antithesim omnibus Electorem Saxoniæ iam sibi repertum, bonum & idoneum permovit Consiliis, ut ad Regnum sibi qvoqve non displicens, Patri succederet, neqve se animo deiici pateretur, qvòd ergà illum inclinatio non esset Universæ Reipublicæ minimam ab illa secessionem qvalicunqve modò aliqvot Nobilium sufecturam destinatis, ut Exclusio extraneorùm constituta rueret, & armis reliqva perficientibus, ac invitos populi sensus ac amores conciliantibus, Regnum sic possessum, regnanti plùs authoritatis ac utilitatis in posterùm promitteret. Eadem Aula Viennensis per conjunctam secum Saxonum & Russorum factionem, aliqvot periuris ac perduellibus Civibus in sua vota tractis; Aulam Rossiacam, cujus dirigendæ clavim fortunatam est nacta, monuit, ut Exercitus Moscoviticos qvantocyùs in Poloniam induceret, qvoniam ex anteriori cum Russis compactatô, Imperatoriæ Legiones bellô Gallicô imminenti distractæ irrumpere in illam iam nullatenùs possent, ut id testantur datæ Informationes Viennâ ad Residentem Peterburgi Cæsareum scriptæ, ac in suo Originali lapsum ad manus nostras passæ. Hæc Aula conflavit Pseudo-Electionem Pragensem. Hæc accellerari fecit, & Coronationem Electoris Saxoniæ, contra qvam iam est in publico facta à Celsissimo Primate, nomine Statuum solennis Manifestatio.

Qvale verò Alpha, tale & Omega. Actus ille Coronationis sub armis hostilibus expeditus, vix habuit qvadraginta depravatos, ac à Republica deficientes Cives, qvi illi tristi solennitati aderant. Ob defectum autem Nuntiorum Terrestrium, qvorum nec unus ex Provincia minoris Poloniæ comparuit, ex turno ejusdem Provinciæ in Mareschalcum Ordinis Eqvestris saltem assumendus, si non eligendus; Comitia Coronationis novô & inauditô exemplô etiam inchoari non poterant. Nuditas hæc ostendit iniqvitatem impositæ Capiti nullo jure

re Coronæ, probavit & aliam priorem Pseudo-Electionis contra assertionem Principis Eugenii, qvòd essent millia reclamantium Electioni Serenissimi Regis STANISLAI. Cùm secùs circa tuitionem tàm Majestatis Regiæ, qvàm libertatum suarum omnes Palatinatus utriusqve gentis consurgant per Confœderationes, & arma sumant contra usurpatorem Throni, ac ei assistentes Moschorum exercitus.

Hæc ergò omnia fidelissimè & sic genuinè hic relata, ut nec minimum jota veritati aut detractum, aut affectatè additum sit, per se jam & luculenter probant, qvòd vim crudelissimam patimur, & à vicinis potentiis dictô ferociùs opprimimur. Nullô nostrô demeritô, sed solâ illarum libidine ad eum prætensæ alicujus superioritatis gradum perductâ, ut in Regno à se independente, aut instar Romanorum Conclavium Exclusiones facere, aut Reges nobis ex placito suo imponere, aut liberam gentem armîs subactam servituti adscribere satagant. Hanc injustitiam ad Cœlos clamantem faterentur ipsi priscæ realitatis Germani, si illis contra exorbitantèm Principum suorum fastum & ambitum, permissum esset vera loqvi. Faterentur qvoqve & Russi suam Caream Majestatem eôdem nunc contra Poloniam processisse passu, nam omnibûs Nationalibus à Regimine Statûs amotîs, & extraneîs ad qvævis tàm Ministeria, qvàm secretiora sua Consilia adhibitîs, qvorum peregrinîs mercenariîs & maximâ ex parte Theutonicîs ingeniîs, nunc Aula Viennensis è re sua commodissimè utitur.

Rectô animô non negabit id ipse Princeps Eugenius, ut potè minimarum & intimiorum aulæ Viennensis circulationum conscius & comparticeps, licèt annorum ac meritorum suorum plenitudini, judicii gravitati, tanti nominis integritati haud convenientia, imò mera nugamenta Magno Vesirio scripta, in vulgus deniqve eiicere, ac de illis gloriari non erubuerit. Illos ex nostris, qvos Germanicæ factioni, immersos abluere & mundare voluit, certum est aliqvos ex patrocinio famæ, favore fortunæ & æstimatione vulgi celebres, hodiè in vero virtutis pondere nimìs desciviſſe, ut sæpè evenit cum pessimo tempore corrumpi & depravari optimos posse, tamen prævalere fas & æqvum, cujus fulcimento tota incumbit Respublica.

 Ju-

Justitiam ut palmam, qvò magis premitur, magis crescere & expandi. Veritatem, ut oleum nunqvam deorsùm deiici, semper in alto stare & diffundi. Mendaciorum autem eam esse naturam, ut pro authoritate & attrahenda sibi fide, qvamvis caput aureum, pectus ferreum habeant, qvia tamen pedibus inhærent fictilibus, non diu sustentata, cum tota machinæ mole, ipsa per se ruant & concidant, relictâ suis Magistris pudoris & ignominiæ notâ, pro solatio & operis pretio.

Copia Literarum ab Augustissimo Romanorum Imperatore ad Celsissimum & Reverendissimum Theodorum à Potok Potocki Primatem Regni Poloniæ & Magni Ducatûs Lithvaniæ.

Reverendissime in Christo Pater, Amice sincerè Nobis Dilecte. Sicuti inter Augustam Domum Austriacam, tùm Regna ac Provincias, hæreditario jure ab Eâdem possessas ex unâ, ac Serenissimos Poloniæ Reges, hujusqve Nominis Rempublicam ex alterâ parte, arctæ Unionis ac amicitiæ Vinculum ab aliquot retrò Sæculis intercedit, solennibus Pactis Conventis identidem renovatis innixum; ita Reverendissimam Paternitatem Vestram latere minimè arbitror, Augustos Antecessores Meos nunquam non periclitantis Reipublicæ ac Polonæ Libertatis scutum extitisse. Horum vestigiis insistens non tantùm ut vetera ligamina, utrique parti adeò proficua renovarentur, curam omnem impendi, sed & promptum Me ad eandem opere ipso implendam obtuli, cùm juxta Reverendissimæ Paternitatis Vestræ, ac com-

complurium aliorum Magnatum ſenſus ſub finem præterlapſi anni Reipublicæ Libertati evidens periculum imminere videbatur, atque nè Ego tutamini Ejusdem deſim, à tantæ dignationis Patriæque amantibus Viris rogabar. Neque verò alia vel tunc Mihi mens fuit, vel in poſterum erit, quàm benevolum Vicinum, fidumque fœderatum Reipublicæ amicæ exhibere, ac collati beneficii gloriâ contentus non alios, quàm qui in Rempublicam indè redundant fructus, unquam captabo. Conſtantem itaque affectum, ac providam curam, quæ juxta Vota Reverendisſimæ Paternitatis Veſtræ vivo adhuc Rege tàm propè Me tetigit, ut Viduæ quoque Reipublicæ impendam, Mearum partium eſſe duco. Deeſſem autem præcipuæ obligationi, quam cura hæc à Me expoſcit, niſi liberæ Electionis jus Reipublicæ competens contra qvoscunqve adverſariorum conatus viribus à DEO Mihi conceſſis propugnare, ac *nè interna Ejusdem qvies Sciſſionibus turbetur, aut aliàs contra Regni, qvæ jam ſunt, Conſtitutiones, minùs ritè in Electionis negotio procedatur*, providere forem paratus.

Tàm longè itaqve à Me abeſt præfato Liberæ Electionis juri qvicqvam detrahere, ut potiùs nè gratum qvidem Mihi Candidatum aliìs mediìs ad Regium culmen evectum velim, qvàm qvæ cum hoc ipſo liberæ Electionis jure, & Regni, qvæ ſunt, Conſtitutionibus conſpirant: *Votorum Meorum Summâ non niſi eò tendente, ut circa perſonam eligendi Sartæ tectæqve maneant Regni, qvæ jam ſunt, Conſtitutiones*, cœtroqvin autem liberis ac unanimibus Polonæ Nationis ſuffragiis *ejusmodi Rex, qviscunqve demùm ille ſit, eligatur, à qvo nec Reipublicæ Libertati periculum, nec Vicinis excitandarum turbarum metus immineat.* Eandem qvoqve fœderatis Meis mentem eſſe, nec ulli alii ſcopo copias in finibus Regni collocandas unqvam inſervituras Reverendiſſimæ Paternitati Veſtræ ſpondere nullus ambigo. Id enim tùm vetera tùm nova pacta conventa, qvæ Me iisdem indiſſolubili vinculo ligant, expoſcunt: qvippè qvæ cuncta tutamini præſentis Reipublicæ Conſtitutionis, liberæqve Electionis, tanqvàm baſi ac fundamento, ſuperſtructa fuerunt. Indefeſſus, qvem Reverendiſſima Paternitas Veſtra qvieti, proſperitati ac incrementis Patriæ ſuæ per tot annos impendit, Zelus dubio penes Me locun haud relinqvit, qvin conſilia ſua & opera in ſcopum tàm ſalutarem pro-

movendum unicè ſit collimatura. Ita de DEO, Chriſtiano orbe, Me ac Patriâ ſuâ Reverendiſſima Paternitas Veſtra optimè mereri perget, ac cum ingenti Nominis ſui famâ ſimul primi Principis & optimi Civis munia ex aſſe adimplebit. Ego autem viciſsim non tàm Verbis qvàm opere ipſo tàm ergà Reverendiſſimam Paternitatem Veſtram qvàm ergà ſuos gratâ memoreqve mente illa qvoqve officia recolam, qvæ patriæ Salutem propiùs qvàm Me tangunt. Cæterùm benevolentiſſimam Meam Cæſaream Voluntatem eidem in omne tempus confirmo. Datum Viennæ die 14tâ Aprilis Anno 1733.

Reverendiſſimæ Paternitatis Veſtræ
benevolus.

CAROLUS.
mpp.

Hanc Ænigmaticam à Throno Excluſionem Sereniſſimi Regis STANISLAI Cæſareus Ipſe Dominus Legatus oretenùs exnunc Celſiſſimo Primati explicavit.

RE-

Responsum ad has literas à Celsissimo Primate ad Augustissimum Imperatorem.

Ad Literas, qvibûs me nunc Orphanæ Serenissimæ hujus Reipublicæ breve sub Interregno, ac utinam brevissimum Regimen tenentem, Sacra Cæsarea Regiaqve Catholica Majestas Vestra honorare dignata est, cum profundissimo respondere cultu Divis Cæsarum sangvinibus, ac prærogativis digno debiti mei simul, ac officii duco. Præter autem longam Annalium seriem tàm vetustate, qvàm rarò non amici nobis ab Occidente áëris hilaritate insignem cum retroacta propiùs, nec à præsenti temporum cursu nimis dissita revolvam sæcula, adsum ipse assertæ veritati testis, inter celsum Imperium, tùm Regna & hæreditarias Provincias Sacræ Cæsareæ Regiæqve Catholicæ Majestatis Vestræ, ab una, & Ditiones Serenissimæ hujus Reipublicæ parte ab alterâ, vicinam illæsam & optimam continuò mansisse pacem inconcussam ac inalterabilem viguisse, nec in iis qvæ jure transigi poterant, ad extrema & violenta unqvam venisse. Adeò antiqva Fædera & recentiora amicitiarum vincula, inter easdem nationes sibi collimitaneas feliciter inita & diligenter ab utrinqve servata, nullus dubitat magnis communis tranqvillitatis præsidiis ac mutuis suis contra Hostes auxiliis non parùm prôfuisse. Qvòd verò Augustissimorum Domus Austriacæ Prædecessorum Relligio benè culta fovit & servavit in integro, hoc magnanimitas & bonitas Sacræ Cæsareæ Regiæqve Catholicæ Majestatis Vestræ exaltavit & posuit in amplo, cùm non modò continuandæ inter Fæderatas has Gentes Unioni & qvieti, nec qvovis prætextu vel motu interturbandæ eximiam suam operam dederit, verùm etiam Libertatibus Regni hujus ubi earundem Periculum imminebat assistere & suffragari non recusaverît. In Avis ac Abavis suis Pacta Conventa ritè tenentibus candor reputabatur ad Justitiam in Sacra verò Cæsarea Regiaqve Catholica Majestate Vestra super eorundem strictam & Sanctam observationem adhuc pro Libertatibus nostris zelante, ascendit altiùs & elevatur ad immensam Nominis sui Gloriam, nulla ætate, nullo angulo orbis, nullo ore tacendam, cum non morituro unqvam in immortali Republica gratitudinum sensu, pro tàm rara & fermè prima inter tanti Imperii molem & curam ad interesse Liberi Regni hujus attentione. Nunc autem Serenissima hæc Respublica in orbitate sua, luctuosæ ac luctanti cum Fatis suis humanas mentes in ambiguo & suspensò tenentibus situationi obnoxia

xia longè & infinities majoribus Sacræ Cæſareæ Regiæqve Catholicæ Majeſtatis Veſtræ obligationibus ſe devinctam fatetur & ſentit, cùm illi unicam & delicatiſſimam Libertatis pupillam, Liberam futuri Regnantis Electionem pientiſſimè vult, vovet & nè aliqvô modô lædatur, in id omnes conatus ſuos convertere appromittit. Sanctas has Juſticiæ juribusqve noſtris aſſymbolas intentiones, qvas in corde Sacræ Cæſareæ Regiæqve Catholicæ Majeſtatis Veſtræ ſupremus univerſi Conditor Dominusqve Dominantium operatus eſt, confirmet plùs ultrà. Mihi permisſum erit ex amore in Patriam, ex onere præſentis in ea Regiminis aliqva breviter de natura & proprietate Liberæ Electionis innuere. Certum eſt abſolutè aliqvid liberum nec poſſe dici, nec dari tale, niſi ſit ex toto & ex omni parte liberum, per conſeqvens Liberrimam in hoc Regno Regum ſuorum Electionem, qvæ eſt omnium prærogativarum ac immunitatum noſtrarum fons, fundamentum & Baſis, id omninò reqvirere, ut reſpectu Candidatorum ad Thronum nec negativam nec affirmativam ſententiam ab externis Potentiis aut expectet aut admittat. Eò ipſô enim duci & trahi potiùs qvàm ſuô propriô & naturali motu ad ſcopum ſuum pergere videretur. Unum qvoqve Regnum ſuîs moribûs & legibûs regitur. Qvæ ſunt illi plùs vel minùs commoda aut congrua, diligentiùs hæc釋 internô & domeſticô, qvàm externô perſpiciuntur oculô. Sereniſſima hæc ac Liberrima Reſpublica licèt ſit diminuta Capite, non eſt ſuîs diminuta Statibûs de ſubſtituendo iterùm ſibi principali membro in Libertate ſentiendi & eligendi deliberaturis & in id unicè ac ſtudioſiſſimè intentis, ut uno Principe fatîs adversîs avulſo, alteri Diîs propitiîs concordibûsqve ſuffragiîs Electo Coronam imponerent. Libertatis noſtræ unicum pretioſiſſimum & ab omni imaginabili dependentia abſolutum ac integrum munus. Fædera & Pacta, qvorum inter partes paciſcentes & fæderatas ſancta & laudabilis eſt obſervatio ſervire & convenire tantùm ad amicitiarum indiſſolubiles nexus, qvibus obfirmatur ſtrictiùs pax reciprocis conſtans emolumentis, ſed non pertinere unqvam ad Liberam hìc Regum Electionem, qvæ ſtatim naturam ſuam amitteret ſi minimîs etiam ligamentîs teneretur. Nec Fæderati quicunqve illi fuerint, ultrà Fædera ſua ac Articulos in iisdem expreſſos qvidqvam ex æqvo contra hoc Liberum Regnum Liberamqve Electionem attentare præſument, niſi ſummo Jure ſummam injuriam inferre velint. Libertas demùm Gentis hujus licèt conſiſtat in integritate ſancitorum & Conſtitutionum Regni,

gni, nè ſcilicet aliqvando à ſupremo Ordine violentur, unôqve admiſſô inconvenientî omnium tollendarum Legum arbitrium ſit penes Principem, verùm tamen ex conſenſu trium Ordinum multas & immutatas & abrogatas, uſus & experientia probant, Volumina teſtantur, neqve extraneorum ſollicitudinem & curam unqvam fuiſſe conſtat in iis, qvæ ad ſolam & Liberam ac apud ſe (qvidqvid velit facturam,) pertinent Rempublicam. De reliqvo qvisqvis ille fuerit Candidatus, & qvem Deus Omnipotens Regum Sceptrorumqve Dator ad Sedem Regiam Liberîs ſuffragiîs eligendum & vocandum huic Electori populo inſpiraverit, qvia me nullarum partium niſi ſolius Reipublicæ concordis & unanimis eſſe eventus probabit & juſtificabit. Id poſſum Sacræ Cæſareæ Regiæqve Catholicæ Majeſtatis Veſtræ aſſeverare firmiter qvòd idem ipſe, qvi aſcenſurus eſt Regni hujus Thronum, gratiſſimi & acceptabilis Sacræ Cæſareæ Regiæqve Catholicæ Majeſtatis Veſtræ Candidati implebit Officia, tàm ſine ullo Libertatum noſtrarum periculo, qvàm etiam absqve omni turbarum Vicinis excitandarum metu. In hoc enim Regno Libero & Liberè ſibi eum qvi dominaretur aſſumente, plusqvam compertum eſt, non Reges regere ſed potiùs regi. Vidit hoc ætas prætérita ad Viennam, nulla autem non probavit Sereniſſimam hanc Rempublicam magìs rationibus ſuis ſtatiſticis ſemper immoto animo innixam fuiſſe, qvàm votis & meditationibus Principum ſuorum adhæſiſſe. Hîs itaqve ultrà propoſitum meum prolixiùs & velut ex torrente cordis mentem propulſant, effuſìs ac enunciatîs humillimè peto & exoro Sacram Cæſaream Regiamqve Catholicam Majeſtatem Veſtram ut futuram Deo dante novi Regis Electionem, eamqve (ut fas) Liberrimam Sereniſſimæ huic Reipublicæ amicæ & Fæderatæ ſuæ relinqvere in toto & tuto dignetur. Actus hic Juſticiæ & Pietatis pleniſſimus dilatabit ampliùs & ampliùs gloriam ſuam, jam per orbem ſatis extenſam, accumulabit Divinas benedictiones feliciſſiimo ſuo Imperio, & nè poſt ſera fata ſub nomen alterius cadat, meMyſta & forſan indubio Vate, cum non ſit omne apud Deum impoſſibile verbum, dabit adhuc de lumbis Succeſſorem Imperatores ſecuturis ætatibus geniturum, & Auguſtiſſimam Domum Auſtriacam, ſi immortalis eſſe neqvit, ad Confinia Immortalitatis perducturum.

Copia Literarum à Celsissimo Primate ad Augustissimum Imperatorem.

Quoniam futuræ Dîis utinam propitiis Electionis imminent dies, publicum terminaturi luctum, & post nubila temporum cum novô Oriente ad solium sole sparsuri lucem lætiorem huic tristi hactenus Regno. In quo ejus maxima consistit Libertas, in eo Serenissima hæc ac Liberrima Respublica antiquissimam Augustæ Austriacæ Domûs Divorum Prædecessorum pietatem è sacris excitat cineribus, recentiorem verò & longè insigniorem Sacræ Cæsareæ Regiæque Catholicæ Majestatis Vestræ ergà se benevolentiam nunc vel maximè invocat, petit & exorat: ut Liberæ Electioni plenè favere, unicamque Immunitatum Nostrarum hanc Pupillam illæsè servandam tueri Votô suô supremô dignetur. Nil quidem adversi sibi quod metuat, in imaginatione præfigit, & præfigurat, de omnibus collimitaneis Potentiis Serenissima eadem Respublica nullô notata demeritô, offensionum exosa, imò modestâ prætensionum propriarum tolerantiâ commendabilis, unicèque Jurium suorum integritatis zelosa. Cùm tamen prævidentia sit mater securitatis, casus quos eventuros non credit, sollicitâ ac ignarâ futurorum mente præcogitat, & nè quid simile accidat, salutaria & amica Fœderatorum S. C. R. C. Majestatis Vestræ Consilia tempestivè præoccupat, obviando fatali totius Europæ in tranquillo hucusquè Statu permanentis concussioni, si extinctor aliquis candelæ, ut nubem Paci Serenæ induceret, in illo congregatorum Electoris Populi millium actu, funestas scissiones turbasque cieret, aut diris devovendo discordiarum seminandarum Spiritu, facem Nemesis ad incendium Universi orbis proferret. Nec ipsius tantummodò Serenissimæ Reipublicæ prospera vel improspera hac vice spectari & versari, communis omnium Regnorum tranquillitatis, communem etiam ab omnibus exigi curam, sollicitudinem & operam. Quæ cum in Sacra Cæsarea Regiaquè Catholica Majestate Vestra sublimi titulo Potentissimi Imperii primos præ aliis habeat passus, bona officia ac studia ejus erga hanc Liberam Rempublicam reliquis fore pro consilio, præcepto, & exemplo haud dubium est. Sanctum id Heroicum & pium Opus faventer habendi desideria Viduæ Amicæ, ac fœderatæ Suæ Serenissimæ Reipublicæ, eandem ut immortalem perpetuîs ac coætaneis devinciet obligationibûs. Imperiumquè S. C. R. C. Mttis Vestræ jam gloriosum, quod superi Justitiarum Remuneratores exactissimi faciant diuturnissimum, reddet adhuc gloriosius & omni sæculorum tractu memorabilius ob integrè observatas Regni hujus Libertates, & illæsè manutentam Pacis Universæ Oleam omnibûs triumphîs & laurîs potiorem.